

BX 890  
B383  
V.6

ROBERTI BELLAMINI

OPERA OMNIA

DRAMA COMEDIAE

ET ALIIS REBUS PERIURIS ET COMICIS

TERENTII

REPARATIONE GRATIAE

JUSTINI FRONTO

PROTENTORIS ACOSTICUS

CONTROVERSIÆ PRIMÆ PRINCIPALIS

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

1884

PROSEQUITUR

DECIMÆ QUARTÆ CONTROVERSIÆ GENERALIS

DE

REPARATIONE GRATIÆ

CONTROVERSIÆ PRIMÆ PRINCIPALIS

DE

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

007944

CONTROVERSIARUM

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

LIBER QUARTUS

CAPUT PRIMUM

*Exponitur ordo futuræ disputationis.*

Disseruimus hactenus de natura liberi arbitrii; nunc de viribus ejusdem arbitrii, et simul de gratiæ necessitate disputare aggredimur.

Sunt autem tria genera humanarum, tum cognitionum, tum actionum. Est enim alia cognitio naturalis, sive theoricæ sit, sive mechanica; alia est cognitio moralis, id est, notitia ejus, quod secundum virtutem est vel agendum, vel omittendum; alia denique est cognitio supernaturalis, id est, eorum, quæ sciri non possunt, nisi divinitus revelentur. Sic etiam actionum aliæ naturales dici possunt, quales sunt ambulare, sedere, colere agros, gerere bella, et alia id genus; aliæ morales, quibus actiones omnes virtutum, et vitiorum continentur, ut eleemosynas dare, jejunare et similia; ut contra, furari, fornicari; et alia ejusdem generis; aliæ divinæ, ac supernaturales, quæ proprie ad salutem æternam consequendam pertinent, ut credere, sperare, diligere, orare, sacrificare, et cætera.

Et quamvis actiones primi generis, quas naturales diximus, et a quibusdam civiles etiam nominantur, in particulari, sive (ut Theologi loquuntur) in individuo necessario sint bonæ, aut malæ moraliter (juxta doctrinam S. Thomæ, quam nos ut probabilior sequimur) tamen ex genere suo indifferentes sunt, et potest etiam fieri, ut aliquis sit liber in ejusmodi actionibus, qua parte

naturales sunt, et non sit liber qua parte sunt morales, ut si quis existimet omnia opera infidelium esse peccata, is fortasse dicet, habere hominem infidelem liberum arbitrium ad colendum agrum, et non colendum, quatenus colere agrum est opus naturale; non autem habere, quatenus est opus morale quia poterit colere agrum, vel non colere, sed non poterit in eo opere ulla ratione vitare peccatum.

Nos igitur de singulis his cognitionum, actionumque generibus tres tractabimus quæstiones: unam, egeatne homo auxilio gratiæ specialis ad res cognoscendas; alteram, egeatne auxilio ad res easdem peragendas; tertiam, admissa gratiæ adjumento, sit ne opus illud in libera hominis potestate. Quare novem erunt præcipuæ quæstiones, præter alias, quæ harum occasione discutiendæ erunt.

Prima quæstio erit, an ad cognoscendum verum naturale, indigeamus gratia. Secunda, an ad actiones naturales, ut tales sunt, egeamus etiam gratia. Tertia, an ad easdem actiones, etiam ut tales sunt, habeamus liberum voluntatis arbitrium. Quarta, utrum sine auxilio gratiæ cognoscere possimus verum morale. Quinta, utrum ad moralia opera, id est, ad præcepta servanda, et peccata cavenda opus habeamus auxilio gratiæ. Sexta, utrum sit in nostra potestate bene et male agere moraliter. Septima, sit ne auxilium gratiæ necessarium ad cognoscendum verum supernaturale. Octava, sit ne idem auxilium gratiæ necessarium ad actiones divinas, credendi, sperandi, diligendi etc. Nona, sit ne homo liberi arbitrii in ejusmodi actionibus supernaturalibus, atque divinis,

## CAPUT II.

*Posse cognosci viribus naturæ Deum esse, et esse unum, et alia id genus.*

Prima igitur quæstio tractanda se offert: Utrum ita læsa sit mens humana per peccatum, ut non possit solis naturæ viribus cognoscere aliquod verum mechanicum, vel theoreticum naturale. Nam de vero morali et supernaturali postea disseremus.

Est autem communis omnium sententia, posse cognosci solo lumine naturæ multas veritates theoreticas et mechanicas, quæ in scientis, et artibus humanis et naturalibus continentur. Id quod etiam Calvinus, fatetur in I. lib. Instit. cap. 2. et in lib. II. cap. 2. Quæ solum controversia remanet, Utrum Deum esse, et esse unum, cognosci possit lumine rationis absque speciali gratiæ auxilio.

Nam Joannes Calvinus loco notato scribit, ethnicos solo lumine naturæ cognovisse generatim, Deum esse aliquem, non tamen in veri Dei notitiam, qui unus et solus est, devenisse. Tilmannus etiam Heshusius in lib. de erroribus Pontificiorum, titul. de libero arbitrio num. 11. inter errores ponit id, quod habetur in Catechismo romano, lumine naturali cognosci posse, Deum esse, et esse unum. Ex nostris quoque Petrus ab Alliaco in 4. sentent. quæst. 3. scripsit, non posse de Deo quicquam cognosci sine speciali adjutorio gratiæ.

At contra sentiunt fere omnes Theologi, ac præsertim S. Thomas lib. I. contra gentes cap. 12. et 43. ubi non dubitat, errorem appellare sententiam eorum, qui docent, non posse naturali ratione demonstrari, Deum esse. Et certe quod naturali ratione demonstratur, naturali lumine cognoscitur; neque opus est ad assentiendum iis, quæ naturali ratione demonstrantur, auxilio gratiæ speciali, cum sine labore iis assentiamur, quin etiam non assentiri nulla ratione possimus.

Probatur igitur hæc veritas primum ex divinis litteris; Job xxxvi. *Omnes homines vident eum, sed unusquisque intuetur procul* (1). Quo loco dicuntur homines videre Deum, quia omnes habent lumen naturale, quo

pertingere possunt ac cognitionem veri Dei: tamen procul eum intueri dicuntur, quia non possunt cognoscere nisi communia quædam, ut esse, et esse unum, esse bonum etc. quæ ex rebus creatis colliguntur. S. Gregorius lib. xxvii. *Moralium* cap. 2. et Beda lib. III. in Job, cap. v. ita hunc locum exponunt,

Alter locus est Sap. XIII. *Si tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt* (2)? Ex quo loco discimus, verum et unum Deum naturaliter posse cognosci, et non solum Deum in communi, ut dicitur de vero Deo, et falsis Diis. Nam si quis existimet solem aut lunam esse Deos, aut homines mortuos, ut Jovem et Martem tamquam Deos honoret, is non potest dici invenisse mundi Dominum, neque simpliciter, neque ex sententia auctoris libri Sapientiæ; non simpliciter, quia vere, neque sol, neque luna, neque Jupiter, neque Mars, est mundi Dominus, non etiam ex sententia hujus sacri auctoris. Quia ipse fatetur ab iis, quos reprehendit, quod mundi Dominum non invenerint, habitos fuisse pro Diis solem et lunam, et homines mortuos.

Tertius locus est Actorum xvii. *Querere Deum, si forte attrahent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum* (3). Est enim sententia hujus loci, interprete Chrysostomo et Oecumenio, tam esse facilem, et obviam Dei notitiam ex rebus creatis, ut fere palpari et attraheri queat, quomodo tractantur ea, quæ ante pedes et oculos jacent.

Quartus locus est Rom. I. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem; et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Hoc loco significat Apostolus sapientes mundi ex rebus creatis verum Deum cognovisse. Nam si non cognovissent verum Deum, non dicerentur veritatem in iniquitate detinuisse, neque absolute pronunciaret Apostolus: *Cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt*; neque propter cognitionem numinis

(1) Job. XXVI, 25. — (2) Sap. XII, 9. — (3) Act. XXVII, 27.

in genere dicerentur *inexcusabiles*, circa peccatum idololatriæ. Non enim inexcusabiles essent colentes idola pro Diis, si nullum alium Deum cognovissent, aut cognoscere potuissent.

Præterea ex hoc loco intelligimus, Deum manifestasse Deitatem suam Philosophis, non per revelationem specialem, sed per species rerum creatarum; nam cum dixisset B. Paulus: *Deus illis manifestavit*, continuo explicat, quemadmodum manifestaverit, ac dicit: *Invisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Et hoc modo locum istum exponunt, Chrysostomus, Ambrosius et alii in commentario, et præterea Augustinus multis in locis, quæ paulo post adferentur.

Denique ex hoc loco colligimus philosophos cognovisse non solum Deum esse, sed etiam libere agere, et providere rebus humanis. Nam alioqui non reprehenderentur, quod gratias non egissent. Non enim debetur gratiarum actio ei, qui ex necessitate naturæ operatur, sed ei qui beneficia nobis præstat, cum in ejus potestate non præstare.

Probatur secundo eadem veritas ex testimoniis Patrum. S. Justinus Martyr in Apologia ad Imperatorem ultra medium, scribit Socratem, et alios quosdam Deum verum ita cognovisse, ut fere Christiani dici potuerint.

S. Irenæus lib. II. adversus hæreses c. 5. habet hæc verba: *«Etiam si nemo novit patrem nisi filium, neque filium nisi patrem, tamen hoc ipsum omnia cognoscunt, quando ratio mentibus infixæ moveat ea, et revelet, quoniam est unus Deus omnium Dominus.»*

Tertullianus in Apologetico c. xvii. *«Vultis, inquit, testimonio comprobemus? quæ licet carceris corporis pressa, licet institutionibus pravis circumseptæ, licet libidinibus et concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis exancillata, cum tamen respicit, et sanitatem suam patitur, et Deum nominat solum, quia proprie verus hic unus Deus, et bonus, et magnus, et quod Deus dederit, omnium vox est, judicem quoque contestatur illum, Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ. Denique pronuncians hæc, non ad Capitolium, sed ad cælum respicit.»* Et in lib. de spectaculis: *«Nemo, inquit, negat, quia nemo ignorat, quod ultro natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem.»*

S. Cyprianus tractatu 4. de Idolorum vato. VI.

nitate: *«Quæ est, inquit, hæc summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis?»* Et rursus ibidem: *«Ergo unus est, et ubique diffusus est. Nam et vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens, et anima sui auctoris, et principis admonetur. Dicit frequenter audimus, o Deus, et Deus videt, et Deo commendo etc.»*

Lactantius lib. I. divinarum institutionum cap. 3: *«Nemo, inquit, est, qui sapiat, rationemque secum putet, qui non unum Deum esse intelligat.»*

S. Hilarius in primum versum Psalmi LII. *«Quis, inquit, mundum intuens, Deum esse non sentiat?»*

S. Ambrosius in commentario capituli I. ad Rom. vel quicumque fuit eorum commentariorum auctor: *«Ut Deus, inquit, qui natura invisibilis est, a visibilibus cognosci posset, opus fecit, quod opificem sua visibilitate manifestavit.»*

S. Gregorius Nyssenus lib. VIII. Philosophiæ cap. 7. *«Non levis, inquit, conjectura existit, singularia gubernari providentia, quod ejus cognitio sit hominibus naturaliter inserta. Necessitate enim aliqua obruti confestim ad divinum numen, et orationes confugimus, quasi natura nos absque præceptore divinum auxilium edocente.»*

S. Hieronymus in comment. cap. 1. ad Gal. *«Ex quo, inquit, perspicuum fit, natura omnibus inesse Dei notitiam.»*

S. Joannes Chrysostomus hom. 9. ad populum Antiochenum: *«Deus, inquit, illis manifestavit. Quo pacto? quem Prophetam mittens? quem Evangelistam? quem Doctorem, si Scripturæ nondum erant? Invisibilia ipsius, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, etc.»* Quo loco S. Joannes Chrysostomus copiose docet, potuisse mundi sapientes naturæ lumine cognoscere, Deum orbis terræ conditorem et moderatorem esse.

S. Augustinus in lib. de spiritu et littera cap. 12. *«Vides, inquit, quomodo, non eos dixerit veritatis ignaros, sed quod veritatem in iniquitate detinuerint: et quia occurrebat animo ut quæreretur, unde illis esse potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat: neque hoc tacuit, unde habere potuerint; per visibilia namque creature pervenisse eos dixit ad intelligentiam invisibilium creatoris. Quoniam revera sicut magna ingenia quærerere perstiterunt, sic invenire potuerunt.»*

Item serm. 55. de verbis Domini: *«Unde,*

inquit, illi impii veritatem detinent? numquid Deus ad quemquam illorum locutus est? numquid legem acceperunt, sicut Israelitæ per Mosem? Audi quomodo illis Deus manifestavit. Invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Interroga mundum, ornatum cœli, fulgorem, dispositionemque syderum, et vide si non sensu suo, tamquam tibi respondent: Deus nos fecit. Hæc, et Philosophi nobiles quæsierunt, et ex arte artificem cognoverunt.»

Item tractatu 106. in Joannem: «Hæc, inquit, est vis veræ divinitatis, ut creatura rationali, jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universonum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.»

Item lib. viii. de civit. Dei cap. 6. «Itaque, inquit, quod notum est Dei, ipse manifestavit eis, cum ab eis invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt intellecta conspecta sunt.» Ubi S. Augustinus multis aliis verbis docet, Philosophos ratiocinando, perque res creatas gradatim ascendendo paulatim ad unius Dei notitiam pervenisse.

Paulus Orosius lib. vi. cap. 1: «Philosophis, inquit, dum intento studio quæerunt, scrutanturque omnia, unum Deum auctorem omnium repererunt. Unde etiam nunc Pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis, quam de ignorantia convincit, cum a nobis discutiuntur, non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari fatentur. Restat igitur de intelligentia veri Dei, per multas intelligenti suspiciones confusa dissensio. Quia de uno Deo omnium pene una opinio est. Hucusque humana scrutatio, etsi cum labore, deliberare potuit. At ubi ratiocinatio deficit, fides subvenit.»

Theodoretus sermon. 2. de curandis Græcorum affectionibus docet, Platonem cognovisse unum Deum ex tessera, quam Dionysio in epistola, ad eum scripta, dederat. Scripsit enim Plato epistolam fore seriam, si initio adscribatur, Deus; ludicram autem, si adscribatur, Dii. Hæc enim tessera satis aperte declarat apud Platonem, fabulosam fuisse multitudinem Deorum.

S. Gregorius lib. xxvii. Moralium cap. 2. «Omnia, inquit, homo eo ipso, quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere,

(1) Sap. XIII, 5.

eum, qui se condidit, Deum esse. Quem videlicet jam videre, est dominationem illius ratiocinando conspiciere. Cum vero dictum sit, omnes homines vident eum, recte subjungitur, unusquisque intuetur procul, procul quippe eum intueri est. Non jam illum per speciem cernere; sed adhuc ex sola operum suorum admiratione pensare.»

Denique venerabilis Beda lib. iii. in Job cap. 5. sic ait: «Per naturam bonum, notitia creatoris inest cordibus hominum.» Et infra: «Omnis homo hanc vim sapientiæ naturaliter accipit, ut Deum ignorare non possit, nisi aut contemnat, aut negligat.»

Probatur ultimo ratione. Nam si Deum esse unum, non posset cognosci sine gratia Dei speciali, id fieret, vel quia objectum sit supernaturale; vel quia actio intelligendi unitatem Dei sit valde difficilis, aut etiam impossibilis viribus solius naturæ: neutrum autem horum dici potest. Nam unitatem Dei esse objectum naturale, et nulla ad hoc opus esse revelatione, testatur Sapiens cap. xiii. cum ait: «A magnitudine speciei, et creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri (1). Testantur etiam demonstrationes plurimæ a naturalibus effectis ductæ, quibus Deum esse unum probant Joannes Damascenus lib. i. de fide cap. 5. Richardus de S. Victore lib. i. et ii. de Trinitate, et S. Thomas lib. i. contra gentes cap. 43. Quod autem demonstrari potest naturalibus rationibus, certe non est supernaturale, nec superat vim intelligentiæ naturalis. Ubi vero demonstratio adfertur, non est difficile assentiri, sed contra potius difficile, vel impossibile est non assentiri. Quare non requiritur auxilium speciale ad hunc actum producendum. Præsertim cum nec vehementia perturbationum, neque alia causa iudicium theoreticum impedire possit, licet impediant iudicium practicum, et actiones voluntatis.

### CAPUT III.

#### *Solvuntur objectiones.*

Sed contra duo argumenta objici possunt. Primum est testimonium illud Evangelii: *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Item: *In mundo erat, et*

*mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit* (1). Joan. i. Alterum est ex Augustino lib. x. Confess. cap. 6. ubi dicit, cœlum et terram omnibus hominibus magna voce clamare, ipse fecit nos, et non ipsi nos; sed tamen surdis canere, nisi Deus altius misereatur. Ex his enim S. Joannis, et S. Augustini testimoniis colligitur, Deum quidem dedisse hominibus argumenta satis, magna quibus eum cognoscere possent, nisi essent cæci: sed tamen per peccatum primi parentis ita esse totum genus humanum excæcatum, ut jam Deum nemo cognoscere possit ex argumentis illis, nisi cui speciali gratia Deus illuminaverit mentem.

Sed facile erit argumentum utrumque refellere. Nam non esse omnino excæcatos homines per peccatum primi hominis, in iis etiam, quæ ad Dei notitiam pertinent; perspicuum est ex locis allegatis, Sap. xiii. et Roman. i. «Nam (ut ipsis verbis sancti Augustini utar, in expositione quarundam propositionum epistolæ ad Romanos, in principio) quos arguit Salomon Sap. xiii. non cognoverunt per creaturam creatorem; quos autem arguit Apostolus, cognoverunt, sed gratias non egerunt.» Non autem arguentur, qui non cognoverunt, si cognoscere non potuissent: neque cæci sunt, qui aut cognoverunt, aut certe cognoscere potuerunt.

Illud vero: *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Et illud: *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit;* intelligenda videntur de Verbo, id est, de filio Dei, ac per hoc, de mysterio Trinitatis: quod fatemur non posse cognosci solo lumine rationis. Deinde, possent etiam ea verba hunc sensum habere, Lux divinæ sapientiæ lucet etiam in tenebris, cum appereat in iis rebus, quæ omni luce sapientiæ carent, id est, in animantibus rationis expertibus, in arboribus, in lapidibus, in rebus cæteris, quæ quod ratione careant, tenebræ dici possunt, et de iis recte scriptum esse intelligitur, et tenebræ eam non comprehenderunt.

Nec male, cum Chrysostomo, ac Theophylacto dici potest, illud, *et tenebræ eam non comprehenderunt,* idem esse, ac si dictum fuisset, et tenebræ ei non prævaluerunt. Lux enim illuminat tenebras, et tenebræ non obscurant lucem: hoc est, lux notitiæ Dei in hominibus quoque impiis, quavis tenebra-

rum multitudine, vel densitate non vincitur. Denique, cum sancto Augustino, sanctoque Cyrillo dici potest, tenebras esse homines ignorantes et peccatores, qui lucem istam non perceperunt, quam tamen si voluissent, percipere potuissent.

Illud autem S. Augustini ex lib. x. Confessionum, ad rem non facit. Non enim de cognitione, sed de amore loquitur eo loco S. Augustinus: «Domine, inquit, amo te, percussisti cor meum verbo tuo, et amavi te. Sed et cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis, cujus misertus eris. Alioquin cœlum et terra surdis canunt laudes tuas.» Itaque sicut nos surdis canere dicimur, cum ii, quibus multis verbis aliquid suademus, nolunt illud facere, licet satis facile intelligant, quæ dicimus: sic etiam cœlum, terra, surdis canunt laudes Dei, cum homines ex operibus Dei conditorem quidem agnoscunt, red non sicut conditorem diligunt, venerantur et colunt.

### CAPUT IV.

#### *Requiri, et sufficere auxilium generale ad actiones naturales et civiles efficiendas.*

Alteræ quæstio erat de actionibus naturalibus, sive politicis, aut mechanicis abstractendo a malitia, vel bonitate morali, an eæ possent a nobis fieri solis naturæ viribus. Duo siquidem de hac re contrarii errores aliquando extiterunt. Quidam enim docuerunt, posse homines, ut etiam res cæteras, opera sua efficere sine ullo Dei auxilio, sive generali, sive speciali. Ita videtur sensisse Origines lib. iii. de principiis, ut annotavit S. Thomas lib. iii. contra Gentiles, cap. 89. ita etiam senserunt Pelagiani, teste S. Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem, et lib. i. adversus Pelagianos. Ita denique sensit ex Theologis scholasticis, Durandus in 2. sent. dist. 1. quæst. 5. et dist. 37. quæst. 1. qui docet, Deum omnia operare, quæ nos operamur, quia dedit, et conservat vim operatricem, quæ in nobis est, non quia nobiscum ad opus nostrum efficiendum sua actione concurrat.

(1) Joan. i, 5; ibid. i, 10.